



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 49. Concilium Melfitanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

re in Ecclesia Romana functum fuisse. Sæculum XI.
 Ceterum Berengarii conatus effectu non A. C. 1089.
 caruit; nam, quod optabat, Archiepi-
 scopus Tarraconensis creatus est.

§. XLIX.

Concilium Melfitanum.

Papa exinde in Apuliam profectus, de-
 cima Septembris Concilium Melfiæ
 celebravit, omnibus illarum Regionum
 Episcopis, numero septuaginta, & duo-
 decim Abbatibus præsentibus. Adfuit
 etiam Dux Rogerius cum omnibus Opti-
 matibus, seque præstito homagio Ponti-
 fici subditum professus est. Altera die
 in Concilio sexdecim Canones promul-
 gati, quibus priores Constitutiones con-
 tra Investituras editæ confirmantur.
 Præterea hæc ferme statuuntur: Sub-
 diaconus priusquam ad annum vitæ de-
 cimum quartum, Diaconus vigesimum
 quartum, Presbyter trigessimum perve-
 nerit, non ordinentur. Hominibus con-
 ditionis servilis Ordines non conferan-
 tur. Clerici Acephali seu nulli Superio-
 ri subjecti, & Monachi vagabundi da-
 mnantur. Liceat Optimatibus Clerico-
 rum concubinas in servitutem redigere.
 Laici Decimas monasteriis aut Ecclesiis
 monasteriorum sine consensu Episcopi
 aut Papæ non dent.

to. 10. Conc.
p. 478.

c. 4.

c. 11.

c. 9. 10.

c. 12. 5.

Pp 4

Dum

Sæculum XI. Dum Patres hoc Concilium celebrant, Elias Archiepiscopus Bariensis nuper electus, Joanne illius Ecclesiæ Archidiacono Melfiam misso, Urbanum Papam rogavit, ut Barium veniret, & se Episcopum consecraret. Cumque Dux Rogerius quoque, & Bœmundus ejus frater preces jungerent, exorari se passus est Pontifex, quamvis illud contra morem Romanæ Ecclesiæ pugnaret, quod Papa in alia civitate extra Urbem Episcopum ordinaret. Sed annis abhinc *Sup. §. 32.* duobus, ex quo S. Nicolai Reliquiæ illo translatae fuerant, Ecclesia Bariensis usque adeo celebrabatur, ut Pontifex Fidelium zelo & devotioni aliquid dandum esse crederet. Erat Elias ille ipse Abbas S. Benedicti, cui Reliquiæ custodiendæ primo traditæ fuerant. Eum olim ex Monasterio Cavensi prope Salernum evotum, Urbanus Papa noverat, illo tempore quo primum in Italia versabatur, amicitia vinculo eidem junctus. Tum Ursono Archiepiscopo vita functo Elias susfectus fuerat.

Cum igitur Urbanus Papa Barium se contulisset, S. Nicolai Corpore in novam Ecclesiam, ejus honori ædificatam, translato, Eliam Archiepiscopum in ipsius Sede consecravit, simulque confirmavit ejus Jurisdictionem in octodecim illius provinciæ Episcopatus in Bulla nomina-

tos, inter quos Canossa seu Canusium jam ^{Sæculum XI.}
 tunc Bario unitum erat, complures au- ^{A. C. 1089.}
 tem hodie ignorantur. Præterea Papa ^{ep. 5. to 10.}
 confirmavit Archiepiscopi auctoritatem ^{Conc. p. 424.}
 in omnia monasteria virorum & femina-
 rum Græcorum & Latinorum, eique Pal-
 lium concessit. Hæc ex Bulla Barii an-
 no millesimo octogesimo nono die nona
 Octobris data dispiciuntur.

§. L.

S. Bruno Carthusianorum Fundator.

Urbanum Papam in Apuliam profici-
 scentem comitabatur S. Bruno, Car-
 thusianorum Auctor, quem ejus consi-
 liis usus adseverat. Bruno Coloniae
 natus, & juvenis Canonicis S. Cuniber- ^{Mabil præf.}
 ti adscriptus, Remis deinde studiorum ^{2. Sæc. 6.}
 causa versatus est, ubi Cancellarii mu- ^{n. 85. &c.}
 nus & altiorum Scholarum Magisterium
 adeptus, nulli celeberrimorum Docto-
 rum sua ætate palmam concessit. Re- ^{Apol. Ma-}
 tuli suo loco ejus & Manassis Archiepi- ^{nas. Sup.}
 scopi Remensis dissidium, cujus depra- ^{9. 2.}
 vatos mores Bruno dissimulare non pote-
 rat. Inde etiam origo petenda est illius ^{I. de vita sua}
 consilii, quod ut exsequeretur, Mundum ^{c. 2.}
 reliquit. Ita rem narrat Guibertus Ab-
 bas Novigentensis illius ævi Scriptor.

*Remis degebat, ait, vir, cui nomen
 Bruno, Artibus Liberalibus instructissi-
 mus, severiorum Scientiarum Doctor, in*

Pp 5

Eccle-